

PRÆLOQUIUM AD BENEVOLUM
Lectorem.

Um Filius meus Joha-Stephanus, 23, adolescens annorum, ob virtutem ac morum integritatem, corporis venu-
statem & Ingenii dotes haud vulgares, mihi dilectus, in Gymnasio nostro, in Oratoria, Logica & Physica, peroran-
do & disputando, se aliquandiu cum laude exercuisset, & jam studio Medico addixisset, à me efflagit arit, ut observationes meas medici-
nales literis consignatas communicarem, antea meum ex hac vita ex-
cessum, cum jam in etate senili constitutus, annum 70. excesse-
rim, nec constet, quando fatalis hora elapsa, ut ex hac misericordia
valle sit emigrandum ad superos, pro inextimulante Philosophia, cui
nihil magis cura ac cordi, quidam salutis Liberatorum, mihi haud grave
aut molestum, istam sarcinam humeris meis suscepit, basilarie a
carceribus ad metam usque. In delineandis autem istis observationi-
bus me in primis accommodavi ad illius Genium ac captum, indubius,
qui absolute studiorum decursu, ubi ad praxim accedendum, ex raro
secunda arbore, uberes fructus legendi, & ex in ansa captanda, pro
tam utili labore exantlato, Deo Op. Max. inspiranti & calamum
dirigenti, magnas olim gratias agendi. Sed prob' Deum immortalem
quid contigit? dum iste labor haud pridem inchoatus, bonus ille Fi-
lius inopinatè, febre maligna petechialis est correptus, tandem Morta
filium vita abrupit & è medio sustulit. O inanes ac vanas Parentum
curas ac sollicitudines, cum inevitabile Fatum omnia invertat. Ex in
cam haverem in suspeso, quid porrò agendum, utrum tela capta per-
texenda, vel imperfecta relinquenda, recidit mihi in memoriam bi-
storia de Maximiliano II, Archiduce Austria (qui postmodum ad fa-
stigium Casareatus evectus) qui in juventute in Regno Granatenſi

Vita-

PRÆLOQUIUM

Vicarium agens, dum animi recreandi causa ex spatiatus, fortè incidit in agricolam Palmas plantantem, id conspicatus cum admiratione, cum fructus suos post centesimum demum annum producant, sciscitanti causam impensis laboris, respondit: se inservire Deo & posteritati: ob tantam pietatem & fidelitatem, Maximilianus commotus, illi colono centum coronatos tradere imperavit.

Exemplo illius impulsus, non ad auocupandum reuocari, sed ad procurandam publicam utilitatem, istas continuare & tandem divulgate constitui, indubiam concipiens spem, quin multum eximmodi ab iis in primis, qui studio Medico addicti, captandum: idcirco nolui committere, talentum à S. Deo mihi concreditum defodi & mecum tumulari. In meis curis mihi cordi, cautè ac circumspectè procedere, cum Hippocrates lib. de vet. Med. afferat, nullam exactam esse facultatis Medicæ certitudinem, eum Medicum laudandum, qui quam minimum deliquerit: id sedulò observare studui, ne obsim, si prodesse non liceat: proin à violentiæ pharmaciæ abstinui, præsertim cum delicatores & mollioris Naturæ agrimihi obtigerint curandi. Si verum fateri fas, interdum constitueram alios emulari, sed cum gravissima illorum usu adverterem subsecuta symptomata, penituit me facti, & deinceps destiti.

Novi Medicos, qui alias in fama & existimatione, ubi ceperunt uti medicamentis avvngu[n]t[er] operantibus, contemptui habitos, præcix amississe. Quin & illud mihi compertum, plerosque ægros, qui benignioribus sapius reiteratis restitui non potuerunt, nec illorum operatos, sed in orci fauces præcipitatos, quantumvis prima fronte belâ restituti existimati, ast brevi post intervallo relapsi, debitum Naturæ solverunt, in cymbam Charontis devoluti.

Verè Hippocrates 4. aphor. II. Quibus tormina & umbilici dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque aliter solvit, in aquam inter cutem siccum, firmatur. Exemplo illo hydrops ostendit, non omnes morbos solis medicamentis purgantibus curari, etiæ evacuatis viriosis humoribus, interdum remissio symptomatum sequa

AD LECTOREM.

sequatur, tamen ob residuum duorum viscerum, vel occultam ac inexplicabilem qualitatem impressam, vel alias causas absconditas, subinde novam pullulare materiam, que recidiva occasionem praebat, ut tandem agrum prosternat. Etsi non abnuam, quin in morbis contumacibus ac refractariis, & Naturis robustis, dum vires constant, interdum confugiendum ad valida praesidiorum genera, malo nondo, malum cuneum adhibendo, cum extremis morbis, extrema competant remedia. Si adversus Gigantes belligerandum, & in eorum occursum ablegandi Pygmai, omnis opera irrita, & per quem dubia victoria. Sed illud taxandum & improbandum censeo, si in levioribus affectibus, (id complures factitare solent) qui clementioribus medicamentis tractati, citra virium jacturam, cederent, illicet ad vehementiora descendere, Naturam turbando & debilitando, nulla ratione duce, nec methodo observata, nec explorata Essentia morbi cum causis, quin tumultuarias prescrivent purgationes, nullum ad certum scopum directas, Naturam non raro adeo violando, ut post morbo debellando, haud sufficiat, quin vietas det manus. Id admonitorum contra fortuitas illas & violentas medicationes inferere, haud abs re duxi. In praxi exercenda & receptis consignandis mihi semper dispuicuit numerosa simplicium farrago, eò etiam intentus, ut observarem ipsum jucundum, quoad pro ratione morbi fieri licitum, prout ex meis observationibus innotescit.

Verè Hippocrates libr. de arte Medicorum, qui sufficerit ad cognoscendum, sufficere etiam ad sanandum. Exin Capivaccius Medicus & Professor Patavinus, cuidam studioso Polono, expertenti ipsis secreta, haud inscitè respondit: lege meam Methodum, & habebis mea secreta: innuere volens, si Essentia morbi cum suis causis cognita, si medendi datio & simplicium medicamentorum facultas comperta, ei haud opus, operosa pharmacorum sylva, quin morbus levimanu, paucioribus praesidiis, expugnari queat, prout multa in meis observationibus occurrunt singularia exempla, idem testificantia.

Observationes potiores: quoad per reminiscentiam in memoriā

)() riam

PRÆLOQUÍUM.

riam revocare licitum, designata & autoczediōs exarate, nullabī
scripta, (excepta prima) sed prout prima vice concepta (sit fides ve-
ritati) ita relicta, complurium etiam singularium oblivio obrepit, nec
animus meus unquam eō propensus, ut in lucem ederentur, nī Filius
meus, jam in Cœlojia, mihi author ac impulsor, & illa nūnquam lire-
vis comprehensē, in abscondito delituisserit. Sed sufficient istae, in qui-
bus tam varia & selecta ob via remedia, ut à quo vī facultatis Medi-
ca perito, si morbus per tua signa, precognitus & causa perspecta, in
omnes occursantes affectus, torquenda.

Etsi quorundam haud trivialium Medicorum observationes in
lucem emissā prostent, ut super vacuum existimari queat, alias insuper
ad dicere. Sed planè confido, quin benignus Lector, si meas etiam per-
lustrarit, & aqua judicij lance ponderarit, complures singulares ca-
sus, alibi haud obvios, alio stylo ac fito contextos, & haud operosa nec
inconcinna, nec protrita medicamentorum farragine abactos, sit de-
prehensuri, ut si ipsa invidia, vel emulatio in tribunali sedens, pro
Judice constituenda, (siquidem ipsa veritas respicienda) calculum
suum submittens, palam profiteri teneatur, lucubratiunculas illas
luce & laude (ne superbū sit) dignas. Prout cum istum meum labo-
rem Filii olim causa suscepimus, cum aliis vernm medicarum peritis
communicassē, eorum requirens judicium, utrum censeant illa sup-
primenda, vel in lucem edenda, me cohortati sunt, animando, ut ea
intrepide publici virū facerem, cum mihi elogium, aliis verò emolu-
mentum adferre queant. Hisce etiam adjungere placuit consultatio-
nes potiores, eum diversarum Regionum Medicis habitas & laudatas,
eas nec tibi fore ingratas, haud ambigo.

Faxint benigni celites, ut labor ille, promeo voto, benevolo Le-
ctoris sit acceptus & fructuosus: ubi intellexero, applausum & favo-
rem, cum in manib⁹ habeam opus aliud practicum, ad id divulgandū,
me velut calcari extimulabis, cuius ouargapian, ut constet,
quid ex insperandum, ob oculos constituam.

Cum jam elapsi ad minus ann. 64, quod studio Medico operam
dare

AD LECTOREM.

dare cuperim, & cum Genius meus à prima statim adolescentia ita comparatus, ut volupe, animum habere variarum rerum scientia atque cognitione instructum, & modò excesserim annum 82, tanta temporis intercapidine, non fuiturpi ocio deditus, sed mihi oblectamento, lectione honorum Authorum, tempus terere, & quicquid librorum, (nam pauciores emere & propter crebriores & longius dissitae peregrinationes, mecum transferre, haud expediens) ab aliis mutuo accepi, à capite ad calcem perlustravi, si quid notatu dignum occurrit, excerpse, in diarium retuli; post in ordinem digeste, ut memoria consulerem, & si quis morbus obtigerit curandus, ne laboriosa instituenda librorum inquisitio, quin velut in momento ac uno contuisit, comprehendere licitum, quæ illi opponenda remedia. Volumen illud ita est dispositum, & per certas classes digestum, à capitib⁹ affectibus inchoando, usque ad calcem progrediendo, quibus remediorum generibus, tam interiorum, quam exteriorum partium morbi profligandi, ex in cuius promptum, pro ingenii ac judicii qualitate, ea scilicet, que visa ad suum scopum accommodata. Medicamentorum illorum farrago est collecta, non ex una chiliade librorum, sed & ex primariorū Medicorum receptis, in diversarum Rerumpubl. & aularum officinis pharmaceuticis, extantibus concinnata, magno labore conquista.

Præter illud commodum & hoc non spernendum, ut si Authors legere contigerit, haud opus illa laboriosè excerpere & colligere, sed cuncta in illo opere à me edendo, essent obvia. Accedit, quod exiguis numerus eorum Medicorum, qui instructam bibliothecam, ut illa annotare & usurpare sciant. O quam Fortunatum me depradicarem, si olim in juventute, talis mihi manuductio obtigisset, quanto id cum fænore ac fructu conjunctum fuisset.

Si ista mea practica collectanea tam ex mineralium, quam vegetabilium classe deprompta, cum meis observationibus conjuncta, ex iis, velut novocordia instructissima, omnis generis præsidia expedienda, adversus totius sorporis agitudines, tam internas, quam externas

PRÆLOQ. AD LECT.

partes obſidentes, à capite ad calcem uisque pertingentes ut penè nihil
deſiderari queat, ad profligando eos morbos, qui arte humana expu-
gnabiles. Ubi mihi compertum, illa priora tibi accepta, eò ſedulò ero
intentus, quò & iſta, ſine longiori mora, publicanda, ſi Typographus
ad manum in excudendo, vel bibliopola ſumptu impendendo.

Pro iſto labore exantlato, non quaro ullum privatum lucrum,
ſed aliorum potius commodum, & tuum, Gratiōſe Lector, aequum ju-
diciū, & cumpio voto, benevolūm affectū.

Hac præfari libuit, ad tui informationem, valeas & mihi fa-
veas, & cum jam excederim annum 82. adhuc fruens ſuegoia cor-
poris & mentis, ut ſeneam illam haud imbecilliorē, ſentiam, quam
alim erat adolescentia, non minus videor ob grandiorem atatem, quaſi
in limine lethi conſtitutus, fortassis haud multi anni residui, quin ex
bujus Mundi theatro abeundum, & ejus portas pectande, utinam
& ad ſuperas pertingere liceat, à cœli Janitore reſerandas.

Id faxit SS. Trias, & aeternum ut gaudeam, Tu
apprecare.

